



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

**Puente, Luis de la
Coloniae Agrippinae, 1616**

Avthor Pio Lectori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

tia sua præditi, nunciantes in prophetis dignitatem prophetarum, & imperantes in presenti populo, & virtute prudentiæ populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina Scripturarum. Homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. *Hæc Ecclesiasticus, cuius consilium, ab ipso Deo sicut reliqua, que in illo libro scripsit, inspiratum cupio in hoc meo sequi. Cum enim libros aliquos ediderim de Oratione & Meditatione; ac de Perfectione Christiana in omni vitæ genere, quibus ad eam consequendam lectorem quasi manducerem, optabam etiam scribere heroica nostrorum Antecessorum Exempla, qui nos eam docuerunt. Non dico, valde antiquorum: quia, qui illis fuerunt viciniore ab hac labore nos liberarunt; sed eorum, quos ipsemet noui, & cum quibus versatus sum, quorum sanctitate ac doctrina sum usus, & quibus Deus Dominus noster virtutes, ac veritates sculpsit, quas in libris meis proposui & exposui. Horum vnus fuit Pater Balthassar Alvarez, insignis nostræ Societatis IESU Religiosus, verè Pater & Magister in spiritu, non meus tantùm, sed omnium ferè Seniorum qui in Prouincia hac Castellæ versantur; & plurimorum Ecclesiasticorum, ac Sæcularium huius regni:*

PROLOGVS.

nariam & tritam, modo tamen quodam heroico & perfectissimo; ac propterea & admirabili, & imitabili: hac igitur via insignem hunc patrem deduxit: in cuius vita plurima inuenient, quae imitentur, quicumque ad perfectionem contendunt, donumque obtinere desiderant, orationis & familiaritatis cum Deo Domino nostro; scireque recte, magnoque cum fructu cum proximis agere: & hoc praecipue nomine eius vita est viua quadam eius imago, quam illi Religiosi amplecti debent, qui actiuam cum contemplatiua ex suo Instituto profitentur, attendentes scilicet exercitijs orationis & contemplationis, & simul occupationibus & munijs animas inuandi. & quoniam talis est professio Religiosorum Societatis IESV, ideo illis nominatim exemplar hos ob oculos pono: vt ad eam perfectionem contendant, qua exacte pleneque suum seruent Institutum. Et vniuersim qui valde spirituales ac perfecti esse desiderant in vtraque vita, si scire velint, qua via voti compotes euadere possint, conijciant oculos in eos gradus, per quos sanctum hunc virum Deus deduxit, & per eosdem ipsi ambulare studeant, quantum ipsis concessum fuerit à Deo: à cuius gratia & misericordia omnis noster profectus dependet: modò eius diuinis inspirationibus obediamus; industriaque nostra ac diligentia illis cooperemur. PRIMVM enim dedit illi Deus donum ORATIONIS, per ordinariam ratiocinationum, ac meditationum viam, nominatim circa vitam, passionem ac mortem Christi Redemptoris

PROLOGVS.

ptoris nostri. Sed quia donum hoc, nudum ac solum esse non potest, SECVNDVM addidit, SPIRITVM scilicet POENITENTIAE ac MORTIFICATIONIS in rebus omnibus. Et vt altiores in vtroque dono radices mitteret, adiecit TERTIVM, exactissimam scilicet trium VOTORVM custodiam, CASTITATIS, PAVPERTATIS, & OBE-DIENTIAE; ceterorumque consiliorum perfectionis qua in sua Religionis regulis sunt expressa. Ad id autem multum Deus illum iuuit pio sanctissimi Sacramenti vsu & frequentia, faciens eum Sacerdotem, vt absque impedimento frequentius posset communionem suscipere. Et quoniam Patronis indigemus, qui sua intercessione nos iuuent ad coeptum aded excelsum & arduum obtinendum: insignem ei indidit pietatem ac deuotionem ad sacratissimam Virginem matrem suam, ad Angelos, & Sanctos multos Patronos nostros. Addidit etiam illi feruentem salutis animarum ZELVM, magnasque dotes, ac talenta ad eas iuuandas; promouens eum ad varia munia, quibus copiosum ex eis messem colligeret. Iniunxit etiam illi gubernationis munus, vt subditos suos magis adhuc iuuaret, pasceretque oues Christi, ad bo- Ioan. 21.
ni sui Pastoris imitationem; dans illi donum confidentiae ac fiducia de infinita ipsius bonitate, ac suauissima prouidentia, ad res magnas seruitij eius aggrediendas; in quibus foelices illi dedit exitus: quem tamen simul fecit, profunda humili-
tatis

tatis fundamenta iacere, ne ex foelicibus illis euentis euanesceret.

SED quoniam humilitas, patientia, & reliquae virtutes nec perfectae sunt nec firmae nisi contemptibus, morborum, & aliarum calamitatum aduersitate probentur, voluit Deus horum illum participem facere: vt eius virtutes magis eminerent, & perficerentur. Quem iam benè dolatum ac mortificato ad altiorem Orationis & Contemplationis gradum euexit: vt maiorem quietem sentiens, ac refrigerium, munia sua maiori cum fructu perficeret. Denique supremum amoris Dei culmen perfectamque cum diuina voluntate in rebus omnibus prosperis & aduersis conformitatem ei communicauit. Cumque iam fructus esset maturus illum decerpfit, vt sua caelesti mensa adhiberet: deditque illi foelicem mortem in medio feruentis sui cursus & stadij. Nec tamen existimandum est, sanctum hunc virum per hos gradus ordine, quo sunt positi, ab vno ad alterum ascendisse: nam huiusmodi Electorum vita, actionis & contemplationis, consolationum & desolationum, officiorum sublimiorum & inferiorum, prosperorum & aduersorum euentuum varietate ac vicissitudine permixta esse solet, his alijs semel & saepius inuicem succedentibus. Hac eius vita disponenda fuit ratio; eritque huius libri in eius factis referendis: vt sic historia ipsa prelegatur, vt simul appareat ratio & dispositio inferendi virtutes, & ad earum culmen perueniendi. Eadem etiam causa & ratione dum heroica virtu-

tum

PROLOGVS.

tum eius exercitia indicabimus, simul referemus at-
tissima sensa, sententiasque à Domino ipsi in eorum
singulis communicatas.

QVONIAM verò certitudo veritatis eorum,
qua adferemus, veluti fundamentum quoddam est,
voluptatis & utilitatis, qua ex ipsa lectione oriun-
tur: nihil hic referam, quod non verum, ac certum
habeam. Præter enim ea, qua ipsemet vidi, & in
viro hoc Sancto obseruavi: reliqua innotuerunt
ex relatione, ac testimonio virorum fide dignissi-
morum nostræ Societatis, aut aliorum etiam sæ-
cularium: qui ea in eodem obseruarunt, & ipsis
cum eodem agentibus euenerunt, ac postea retu-
lerunt; aut excerpta fuerunt ex paruo quodam
libello apud ipsum reperto, in quo ille notabat ea
sensa, qua ipsi Deus in oratione communicabat:
quemadmodum Pater noster S. IGNATIVS, eius-
que socius ex primis Pater Petrus Faber magni spi-
ritus vir, multique alij viri sancti fecerunt: ne ve-
ritates, & fauores Dei erga se obliuioni traderent;
sed eadem relegentes recentis profectus occasionem
caperent. Alia ipsemet occultè aperuit ijs, quibus-
cum agebat: imò interdum etiam publice in exhor-
tationibus insinuabat, zelo charitatis permotus, ad
pusillanimes ac debiles exstimulandos, & ob sanctos
alios fines: sicut constat S. Iob. virtutes suas, & san-
ctum Apostolum multas ex suis reuelationibus san-
ctè retulisse, vt fideles excitarent, & in fide confir-
marent. MVLTÀ ex ijs qua adferentur, collegit
primùm Pater Franciscus Salcedius eiusdem Patris
ex so-

PROLOGVS.

ex sorore nepos, qui eandem Societatem est ingres-
sus paulo post obitum sui auunculi. cuius vestigia
tanto feruore ac spiritu sequi coepit, tam in pro-
pria perfectione, quam in zelo adiuuandi animas:
vt speraretur insignis vir futurus, nisi in aetate sua
flore, cum esset Collegij nostri Numantini Rector,
morte sublatu fuisset: qui tamen prius fuerat et-
iam Abulensis Collegij Rector: (a quo etiam in-
ceperat sanctus ipse Pater Balthassar Aluarez)
& tunc omnem diligentiam, quam potuit adhi-
buit, vt maiorem huius historiae partem collige-
ret. Et hic alter est titulus, qui me ad eam per-
ficiendam impulit: quia idem pater, meus fuit
discipulus tam in literis, cum per triennium Phi-
losophiam in Collegio nostro Legionensi docerem;
quam in Spiritu, cum egi Tyrorum Societatis
nostra Magistrum Villa-gartia. Qui cum tan-
quam discipulus vitam & acta collegerit sancti
mei Magistri, ita decet, vt ego tanquam eius Ma-
gister, perficiam opus boni mei discipuli: cuius
frater Doctor Didacus Lopez Salcedius, qui
prius fuit insignis Collegij sanctae Crucis Vallis-
Oletani Collegialis, & postea Regij Ordinum
Consilij, & nunc est supremi Consilij Castilliae: hic,
inquam, tertium addidit titulum, valde instanter
apud me agens, vt hanc historiam perficerem, ne
heroica aded talis auunculi gesta obliuioni trade-
rentur, nec pii fratris sui praedicti labores peri-
rent: quod ipsum etiam peregit apud Patrem
nostrum Generalem Claudium Aquauina, cu-
ius in-

PROLOGVS.

ius instinctu & voluntate (vt simul etiam multorum nostræ Societatis hominum desiderio satisfacere) hanc historiam scribo ad gloriam Dei Domini nostri, & Catholicæ Ecclesiæ adificationem; & nominatim minimè nostræ Societatis IESV, qui redemptionis suæ diuitias in hoc suo fideli socio manifestauit fidelibus, quibus par est eum esse notum, magnique fieri in terra, quem admodum mihi persuadeo ab omnibus Angelis cæterisque sanctis fieri in calo. Et quamuis in hac historia ordinem sequemur annorum, ac locorum, in quibus sanctus hic vir versatus fuit, referentes res insigniores, quæ tunc illi euenerunt: eisdem tamen similes alias inseremus, licet alio loco & tempore euenerint: vt omnes hac ratione facilius vtiliusque intelligantur. Et quoniam arbor bona ex bonis fructibus cognoscitur; sapiensque ac sanctus Magister ex discipulis sapientibus ac sanctis: & ipse Pater Balhassar multos huiusmodi habuit æterna memoria dignos, faciemus quoque in hac historia mentionem insigniorum tam secularium, quàm Religiosorum Societatis nostræ & aliarum Religionum, non solum vt ex eis agnoscat eorum Magistri sanctitas, sed vt perpetua sit memoria insignium aded virorum, quorum Heroica exempla id in lectoribus efficiant, quod in ijs, qui eos viderunt, effecerunt. Eadem quoque opera desiderio & obligationi meæ satisfaciam, afficiendo, qua ratione licebit, honore eos, quos noui, & cum quibus fa-

PROLOGVS:

*bis familiarissimè egi; & de quibus scio, quod
omnibus suis viribus honorauerint in hac morta-
li vita Deum Dominum nostrum, ac propterea
id mihi certò persuadeo, quòd diuina
maiestas valde eos hono-
ret in eterna.*

* *
*



BAL.